

et quid mihi nocet non credere? Sic ergo credite. Ipse est sponsus.

III. Audiamus et de sponsa : quia nescio qui rursus faventes adulteris, volunt veram subvertere, falsamque subponere. Audiamus et de sponsa. Cum ergo tetigissent pedes, manus, carnem, ossa; adjecit Dominus, et ait : « Habetis hic aliquid quod manducare¹? » ut etiam communicato cibo probaretur verus homo. Accepit, manducavit, dedit; et cum adhuc trepidarent præ gaudio, ait illis : « Nonne hæc dicebam vobis, cum adhuc essem vobiscum. » Quare modo non cum illis erat? Quid est, « Cum adhuc essem vobiscum? » Cum adhuc mortalis essem, quod et vos estis. Quid ergo dicebam vobis? « Quia oportebat impleri omnia, quæ scripta sunt in Lege et in Prophetis et in Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas; et dixit eis : Quia sic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis die tertia². » Tollite veram carnem, non erit vera passio, non erit vera resurrectio. Ecce habes sponsum : « Oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die. » Tene caput : audi de corpore. Quid enim modo debemus ostendere? Qui audivimus sponsum, agnoscamus et sponsam. « Et prædicari in nomine ejus poenitentiam et remissionem peccatorum. » Ubi? unde? quousque? « Per omnes gentes incipientibus ab Jerusalem³. » Ecce habes sponsam. Nemo tibi fabulas vendat, non latret rabies hæreticorum de angulo. Toto terrarum orbe Ecclesia diffusa est : omnes gentes habent Ecclesiam⁴. Nemo vos fallat : ipsa est vera, ipsa est catholica. Christum non vidimus, hanc videmus : de illo credamus. Apostoli e contra illum videbant, de ista credebant. Unam rem illi videbant, aliam

¹ Luc. xxiv, 41. — ² Ibid. 42-46. — ³ Ibid. 47. — ⁴ Forte habet Ecclesia.

credebant : et nos e contra unam rem videmus, aliam credamus. Videbant illi Christum, credebant Ecclesiam, quam non videbant : videmus et nos Ecclesiam, credamus in Christum, quem non videmus; et tenentes quod videmus, pervenimus ad eum quem nondum videmus. Cognoscentes itaque sponsum et sponsam, in tabulis eorum eos agnoscamus, ne in tam sanctis nuptiis litigemus.

SERMO CCXXXIX¹.

In diebus Paschalibus, X.

De resurrectione Christi secundum Marcum et Lucam.

I. HODIERNO die jam ecce tertio audivimus ex Evangelio Domini nostri resurrectionem : quemadmodum me vobis locutum esse meministis : quoniam hoc moris est, ut secundum omnes Evangelistas resurrectio Domini recitetur. Marci Evangelium est, quod modo, cum legeretur, audivimus. Marcus autem meruit istam dispensationem, cum in numero illorum duodecim non fuisset, quemadmodum et Lucas. Nam cum sint quatuor Evangelistæ, Matthæus, Joannes, Marcus et Lucas; duo sunt ex illis duodecim Apostolis, id est, Matthæus et Joannes. Sed illorum præcessio infœcunda non fuit, ut consequentes comites non haberent. Marcus et Lucas Apostolorum non pares, sed supares fuerunt. Ideo namque voluit Spi-

¹ Alias de Tempore 146.

ritus sanctus etiam ex his qui inter duodecim non fuerunt, eligere ad Evangelium conscribendum duos, ne putaretur gratia evangelizandi usque ad Apostolos pervenisse, et in illis fontem gratiæ defecisse. Cum enim dicat Dominus de spiritu suo et de verbo suo, quod si quis perceperit digneque habuerit, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam¹: fons utique manando se indicat, non remanendo: per Apostolos pervenit gratia ad alios, et missi sunt evangelizare. Quoniam qui vocavit primos, ipse vocavit secundos: ipse vocavit etiam usque ad novissimum tempus corpus Unigeniti sui, id est, Ecclesiam toto orbe diffusam.

II. Quid ergo audivimus Marcum dicentem? Quod apparuerit Dominus in via duobus², sicut dixit et Lucas, cujus Evangelium heri audivimus: « Apparuit, inquit, » duobus in via in alia effigie³. » Lucas autem hoc ipsum aliis verbis dixit, sed ab eadem sententia non deviavit. Lucas enim quid dixit? « Tenebantur oculi eorum, ne eum » agnoscerent³. » Marcus autem quid dixit? « Apparuit » eis in alia effigie. » Quod ille dixit: « Tenebantur oculi » eorum, ne eum agnoscerent, » hoc iste dixit: « In alia » effigie. » Alia enim effigies visa est, retentis oculis, non apertis. Quid ergo, fratres, quoniam Lucas dixit, quod credo vos de lectione hesternâ recentissime meminisse, quod cum benedictum frangeret panem, aperti sunt oculi eorum; quid putamus, si tunc aperti sunt oculi eorum, ergo clausis oculis in via cum illo comitabantur, et poterant scire ubi gressus ponerent, si clausos oculos haberent? Aperti sunt ergo ad cognitionem, non ad visionem. Dominus itaque noster Jesus Christus ante panis fractionem ignotus loquitur cum hominibus, in panis fractione cognoscitur: quia ibi percipitur, ubi vita æterna perci-

¹ Joan. iv, 14. — ² Marc. xvi, 12. — ³ Luc. xxiv, 16.

pitur. Hospitio suscipitur, qui domum parat in cœlo. Ait enim secundum evangelistam Joannem: « Multæ mansio- » nes sunt apud Patrem meum: alioquin dicerem vobis: » Ibo parare vobis locum. Sed si iero et paravero, ite- » rum veniens assumam vos¹. » Hospes in terra esse voluit Dominus cœli, peregrinus in mundo, per quem factus est mundus: hospes esse dignatus est, ut tu haberes suscipiendo benedictionem; non quia ille indigebat, cum hospes intrabat.

III. Eliam sanctum famis tempore per corvum Dominus pascebat²: et quem persequebantur homines, ei serviebant aves. Afferebat servo Dei corvus mane panes, et ad vesperam carnes. Non indigebat ergo ille, quem Deus ministris avibus pascebat: et tamen quamvis Elias non indigeret, mittitur ad viduam in Sarepta, et dicitur ei: « Vade ad illam viduam, pascet te. » Defecerat Deus, ut Elias ad viduam mitteretur? Sed si Deus servo suo sine humano ministerio semper præberet panem, vidua unde haberet mercedem? Mittitur ergo non indigens ad indigentem, non esuriens ad esurientem; et dicit ad eam: « Vade, et affer mihi pusillum, ut manducem. » Illa modicum habebat, quod consumptura fuerat, et moritura. Respondit, quantum haberet, Prophetæ intimavit: et ait illi Propheta: « Vade, prius affer mihi. » Illa non dubitavit, sed attulit. Obtulit refectionem, et meruit benedictionem. Benedixit sanctus Elias hydriam farinæ, et capsacem olei. Illud in domo repositum erat consumendum; et illud oleum in palo pendeat finiendum: accessit benedictio, et vasa illa thesauri facti sunt. Laguncula olei facta est fons olei, farina parva uberrimas segetes superavit.

IV. Si Elias non indigebat, Christus indigebat? Ideo,

¹ Joan. xiv, 2. — ² 3 Reg. xvii.

fratres mei, admonet nos Scriptura sancta, quia plerumque servos suos quos potest pascere Deus, ideo facit indigentes, ut inveniatur operantes. Nemo superbiat, quia dat pauperi: Christus pauper fuit. Nemo superbiat, quia hospitem suscipit: Christus hospes fuit. Melior est susceptus, quam suscipiens; ditior accipiens, quam tradens. Qui accipiebat, cuncta possidebat: qui dabat, ab illo cui dabat, acceperat quod dabat. Nemo ergo superbiat, fratres mei, quando dat pauperi: non dicat in animo suo: Ego do, ille accipit: ego suscipio, ille indiget tecto. Forte quo tu indiges, plus est. Forte quem suscipis justus est: ille indiget pane, tu veritate; ille indiget tecto, tu cœlo; ille indiget pecunia, tu justitia.

V. Fœnerator esto, eroga quod recipias. Noli timere, ne te fœneratorem judicet Deus¹. Prorsus, prorsus esto fœnerator. Sed Deus tibi dicit: Quid vis? Fœnerare vis? Quid est fœnerare? Minus dare, et plus accipere. Ecce mihi da, dicit tibi Deus: ego accipio minus, et do plus. Quid? Centuplicia, et vitam æternam. Quem quæris cui des, unde crescat pecunia tua, homo quem quæris, quando accipit, gaudet; quando reddit, plorat: ut accipiat, precatur; ne reddat, calumniatur. Da quidem et homini, et noli te avertere ab eo qui mutuum petit². Sed tantum accipe, quantum dedisti. Non ploret cui dedisti: nam beneficium perdidisti. Et si hoc ipsum quod datum est, vel quod accepit exigitur, forte ad manum nondum habet: pertulisti petentem, expecta non habentem: cum habuerit, reddet tibi. Noli facere angustias ei, cujus angustias relaxasti. Ecce tu dedisti, et exigis: sed non habet unde reddat: cum habuerit, reddet tibi. Noli clamare et dicere: Numquid fœnus quæro? Tantum peto, quantum dedi: quod dedi, hoc accipiam. Bene facis, sed nondum

¹ Vide Serm. III, n. 6, in Psal. xxxvi. — ² Matth. v, 32.

habet. Non es fœnerator, et vis cui præstitisti, ut quærat fœneratorem, ut tibi reddat. Si propterea fœnus non exigis, ne te fœneratorem patiatur; quare vis ut propter te alium fœneratorem patiatur? Premis, suffocas: etsi tantum exigis, quantum dedisti; suffocando tamen et angustias faciendo, non beneficium dedisti, sed potius majores angustias intulisti. Sed forte dicis: Habet unde reddat: habet domum, vendat: habet possessionem, vendat. Quando a te petivit, ideo petivit ne venderet: propter te non faciat, qui subvenisti ne fieret. Hoc fiat ita circa homines, hoc jubet Deus, hoc vult Deus.

VI. Sed avarus es? Dicit tibi Deus: Esto avarus, esto quantum potes avarus: sed me conveni pro avaritia tua. Dicit tibi Deus: Me conveni, ego filium meum divitem pauperem pro te feci. Propter nos enim pauper factus est Christus, cum dives esset¹. Aurum quæris? ille fecit. Argentum quæris? ille fecit. Familiam quæris? ille fecit. Pecora quæris? ille fecit. Possessiones quæris? ille fecit. Quid quæris tantum quæ fecit? Ipsum accipe qui fecit. Cogita quemadmodum te dilexit. «Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil².» Omnia per ipsum, et ipse inter omnia. Qui fecit omnia, factus est inter omnia. Qui fecit hominem factus est homo: factus est quod fecit, ne periret quem fecit. Qui fecit omnia, factus est inter omnia. Attende divitias: quid ditius eo, per quem facta sunt omnia? Et tamen ille cum dives esset, mortalem carnem accepit in utero virginis. Infans natus est, pannis infantilibus involutus est, in præsepi positus est, patienter expectavit ætates, patienter tempora pertulit, per quem facta sunt tempora. Suxit, vagivit, infans apparuit. Sed jacebat, et regnabat: in præsepi erat, et mundum continebat: a matre nutriebatur, et a gentibus

¹ 2 Cor. viii, 9. — ² Joan. i, 3

adorabatur : a matre nutriebatur , et ab Angelis nuntiabatur : a matre nutriebatur , et stella fulgente declarabatur. Tales divitiæ , talis paupertas : divitiæ , ut creareris ; paupertas , ut restituereris. Quod ille ergo pauper susceptus est hospitio quasi pauper , dignatio fuit suscipientis , non miseria egentis.

VII. Forte dicis tibi : O beati qui meruerunt Christum suscipere ! O si ego tunc fuisset ! O si unus fuisset de duobus illis , quos invenit in via ! Tu esto in via , non deerit hospes Christus. Putas enim jam non tibi licere suscipere Christum ? Unde , inquis , licet ? Jam resurgens manifestatus est Discipulis suis , ascendit in cœlum , ibi est ad dexteram Patris ; non est venturus nisi in ultimo sæculo ad judicandos vivos et mortuos : venturus autem in claritate , non in infirmitate ; daturus regnum , non quæsiturus hospitium. Quando dabit regnum , excidit tibi quod dicturus est : « Cum uni ex minimis meis fecistis , » mihi fecistis ¹ ? » Ille dives , egens est usque in finem sæculi. Eget prorsus , non in capite , sed in membris suis. Ubi eget ? In quibus doluit , quando dixit : « Saule , Saule , » quid me persequeris ² ? » Obsequamur ergo Christo. Nobiscum est in suis , nobiscum est in nobis : nec frustra dixit : « Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem nem sæculi ³. » Hæc faciendo agnoscimus Christum in bonis operibus , non corpore , sed corde ; non oculis carnis , sed oculis fidei. « Quia vidisti , credidisti , ait cui- » dam Discipulo suo incredulo , qui dixerat : Non credam , » nisi tetigero. » Et Dominus , « Veni , tange , et noli esse » incredulus. » Tetigit , et clamavit : « Dominus meus et » Deus meus. » Et Dominus : « Quia vidisti me , credi- » disti ⁴. » Ipsa est tota fides tua , quia credis quod vides :

¹ Matth. xxv, 40. — ² Act. ix, 4. — ³ Matth. xxviii, 20. — ⁴ Joan. xx, 27-29.

laudo eos qui non vident , et credunt ; quia cum viderint , gaudebunt.

SERMO CCXL¹.

In diebus Paschalibus, XI.

De resurrectione corporum , contra Gentiles.

I. PER hos dies , sicut recolit Charitas Vestra , solemniter leguntur evangelicæ lectiones ad resurrectionem Domini pertinentes. Omnes enim Evangelistæ quatuor , neque de passione , neque de resurrectione ejus tacere potuerunt. Nam quia multa fecit Dominus Jesus , non omnes omnia conscripserunt : sed alius ista , alius illa ; summa tamen concordia veritatis. Multa etiam commemorat Joannes evangelista facta esse a Domino Jesu Christo , quæ a nullo eorum conscripta sunt. Tanta facta sunt , quanta tunc fieri debuerunt : tanta scripta sunt , quanta nunc legi debuerunt. Ut autem ostendantur Evangelistæ omnes quatuor , in eo quod simul omnes dicunt et non prætermittunt , id est , vel de passione , vel de resurrectione Christi , non inter se dixisse contraria , valde operosus est labor. Nonnulli enim putaverunt eos inter se esse contrarios , cum ipsi essent contrarii animæ suæ. Et ideo data est opera ab eis qui potuerunt , adjuvante Domino , ut ostenderentur inter se non esse contrarii. Sed , sicut dixi , si hoc vobis ostendam , et in populo velim ista trac-

¹ Alias de Tempore 139.

tare, multitudo audientium prius obruitur tædio, quam reveletur scientia veritatis. Sed scio fidem vestram, id est, fidem hujus totius multitudinis, et eorum qui hodie hic non sunt, et tamen fideles sunt; novi fidem eorum sic esse certam de veritate Evangelistarum, ut expositione mea non indigeant. Qui novit quomodo ista defendat, doctior est, non fidelior. Habet fidem, habet facultatem defendendi fidem. Alius non habet facultatem et copiam et doctrinam defendendi fidem, sed habet ipsam fidem. Ille autem qui novit defendere fidem, titubantibus est necessarius, non credentibus. In defensione enim fidei, curantur vulnera dubitationis vel infidelitatis. Qui ergo defendit fidem, bonus est medicus: sed in te non est infidelitatis morbus. Quando ille novit curare quod tu non habes? Novit ille ponere medicamentum, sed in te non est vitium. « Non est opus sanis medicus, sed male habentibus¹. »

II. Tamen quæ possunt expeditius dici pro tempore, et commodius audiri, subticere vobis non est consilii. De ipsa resurrectione, cujus in se ipso Dominus præmisit exemplum, ut sciremus quid etiam in corporibus nostris in fine sæculi sperare debeamus, multi multa disputant; aliqui fideliter, aliqui infideliter. Qui fideliter disputant, scire volunt diligentius quid respondeant infidelibus: qui autem infideliter disputant, argumentantur contra animas suas, disputando contra potentiam omnipotentis, dicentes: Unde fieri potest, ut mortuus resurgat? Dico ego, Deus est qui facit, et tu dicis: Fieri non potest? Non dico: Da mihi Christianum, da mihi Judæum: sed, da mihi paganum, idolorum cultorem, dæmonum servum, qui non dicat Deum esse omnipotentem. Negare Christum potest, negare omnipotentem Deum non potest. Quem

¹ Matth. ix, 12.

tu ergo credis, (quasi pagano loquor:) quem tu credis Deum omnipotentem, ipsum ego dico mortuorum suscitatorem. Si dixeris: Non potest fieri, derogas omnipotenti. Si autem credis illum omnipotentem, me quare respuis ista dicentem?

III. Si diceremus carnem resurrecturam, ut esuriat, ut sitiatur, ut ægrotet, ut laboret, ut corruptionibus subjiciatur; merito credere non deberes. Habet enim modo caro ista has vel necessitates, vel calamitates. Et hoc unde? Causa peccatum est. In uno peccavimus, et omnes ad corruptionem nati sumus. Malorum omnium nostrorum causa peccatum est. Non enim sine causa homines mala ista patiuntur. Justus est Deus, omnipotens est Deus: nullo modo ista pateremur, si non mereremur. Sed cum essemus in pœnis, ad quas venimus de peccatis, Dominus noster Jesus Christus voluit esse in pœnis nostris sine peccatis suis. Sustinendo sine culpa pœnam, et culpam solvit et pœnam. Culpam solvit, peccata donando: pœnam solvit, a mortuis resurgendo. Hoc promisit, et nos in spe ambulare voluit: perseveremus, et ad rem perveniemus. Caro resurget incorruptibilis, caro resurget sine vitio, sine deformitate, sine mortalitate, sine onere, sine pondere. Quæ nunc tibi facit tormentum, postea tibi erit ornamentum. Ergo si bonum est habere corpus incorruptibile, quare hoc facturum Deum volumus desperare?

IV. Philosophi sæculi hujus, qui magni fuerunt et docti, et cæteris meliores, animam humanam immortalem esse senserunt: nec solum senserunt, sed quantis potuerunt argumentationibus defenderunt, et ipsas defensiones suas conscriptas posteris reliquerunt. Sunt libri, leguntur. Ideo istos philosophos dixi aliis fuisse meliores in comparatione pejorum; quia fuerunt philosophi qui dicerent, homini, cum mortuus fuerit, nullam vitam postea remanere. Ta-

libus illi utique præponendi sunt. Et in quo erant illi meliores, quamvis in multis a veritate deviantes, tamen in quo erant isti superiores, veritati fuerant propinquant. Hi ergo qui senserunt atque dixerunt animas humanas immortales, de malis hominum, de ærumnis erroribusque mortalium quæsierunt causas, quantum homines potuerunt; et dixerunt, sicut potuerunt, præcessisse nescio quæ in alia vita peccata, quorum peccatorum merito ista corpora velut carcerem animæ mererentur. Deinde quæsitum est ab eis, quid postea cum fuerit homo mortuus, quid erit. Et hic contriverunt ingenia sua; et laboraverunt, quantum potuerunt, reddere hominibus rationem, vel sibi, vel aliis: et dixerunt, animas hominum male viventium immundas pessimis moribus, cum exierint de corporibus, rursus continuo revolvi ad alia corpora, et pœnas hic luere quas videmus: eas vero animas quæ bene vixerunt, cum exierint de corporibus, ire ad superna cœlorum, requiescere ibi in stellis et luminibus istis conspicuis, vel quibuscumque coelestibus abditisque secretis, oblivisci omnium præteritorum malorum, et rursus delectari redire ad corpora, et venire iterum ad ista patienda. Hoc ergo interesse voluerunt inter animas peccatorum et animas justorum, qui peccatorum animas de proximo statim cum exierint de corporibus, dicunt revolvi ad altera corpora, justorum autem animas diu esse in requie; non tamen semper, sed rursus delectari corporibus, et de summis cœlis post tantam justitiam ad ista mala facere ruina.

V. Hoc dixerunt valde magni philosophi. Isto plus invenire nihil potuerunt philosophi mundi hujus, de quibus dicit Scriptura nostra: « Stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi. » Si sapientiam, quanto magis stultitiam? Si sapientia mundi stultitia est apud Deum,

vera stultitia mundi quam longe est a Deo? Est tamen quædam stultitia mundi hujus, quæ pervenit ad Deum, de qua dicit Apostolus: « Quoniam in sapientia Dei non » cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo » per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. » Et dicit: « Quoniam Judæi signa petunt; et Græci sapientiam quærunt: nos autem prædicamus Christum » crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus stultitiam, ipsis autem vocatis Judæis et Græcis Christum » Dei virtutem et Dei sapientiam¹. » Venit Dominus Christus, sapientia Dei: cœlum tonat, ranæ taceant. Quod dixit veritas, hoc est verum. Quod dixit, in malo quidem esse genus humanum causa peccati, manifestum est. Sed qui crediderit in mediatorem, qui constitutus est medius inter Deum et homines: (inter Deum justum et homines injustos, medius homo justus, humanitatem habens de imo, justitiam de summo; et ideo medius: hinc unum, et inde unum; quia si utrumque inde, ibi esset; si utrumque hinc, nobiscum jaceret, et medius non esset:) qui ergo crediderit in mediatorem, et fideliter ac bene vixerit, exiet quidem de corpore, et erit in requie; postea vero recipiet corpus, non ad tormentum, sed ad ornamentum, et vivet cum Deo in æternum. Non est quod eum delectet ut redeat: quia secum habet corpus. Ergo, charissimi, quoniam proposui vobis hodie quid dicant etiam philosophi mundi hujus, quorum Deus sapientiam tanquam veram stultitiam reprobavit, crastino, adjuvante Domino, exponere poterimus.

¹ 1 Cor. 1, 20-24.